



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ  
Gratiæ Ad Honesta Opera

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1620**

Cap. XXXVI. Quid sentiendum sit de potestate hominis in puris naturalibus,  
ad amandum Deum finem naturæ super omnia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)



C A P V T XXXVI.

*Quid sentiendum sit de potestate hominis in puris naturalibus ad amandum Deum finem naturae super omnia?*

**H**æc difficultas, quæ in cap. 32. nu. 2. posita fuerat, ex dictis in superioribus est satis expedita, ut tamen melius res ipsa intelligatur, & quædam opinio, quæ mihi noua visa est, diligenter examinetur, duo breuiter tractabo. Primum est, an homo creatus in puris naturalibus posset per solas vires liberi arbitrij diligere Deum super omnia. Aliud est, si non potuit viribus arbitrij, an per aliquod speciale Dei adiutorium posset. Circa primum quidam Modernus, & grauis Scriptor de Auxilijs diuinæ gratiæ affirmat, potuisse hominem in illo statu ex facultate naturæ pro aliquo breui tempore producere actum dilectionis Dei super omnia. Dicitque, hanc esse aliorum Thomistarum sententiam, nullum tamen in particulari refert. Fundamentum eius est, quasi à posteriori, vel extrinseco signo, quia homo in illo statu, haberet præceptum diligendi Deum super omnia, ut est author naturæ; ergo posset illud implere, quia præceptum non datur de actu impossibili; tunc autem non posset implere per amicos, hoc est, per vires gratiæ, quia illas non haberet, nec Deus esset paratus ad dandum eas, quia supponimus creasse illum in puris naturalibus, cui statui non solum non debentur vires gratiæ, verum etiam illi repugnant: nam includit carentiam donorum gratiæ, quam particula illa, *in puris*, indicat, ut Prolegomen. quarto visum est; ergo oportet dicere, potuisse hominem in illo statu implere suis viribus præceptum diligendi Deum super omnia, saltem per vnum, vel aliquod actum, vel tempore breui. Quia verò idem author in eadem disputatione negauerat, hominem lapsum posse habere suis viribus similem actum, coactus est dicere, naturales vires debiliores esse in homine lapsio, quam essent in puris naturalibus. Et ita ratio à priori huius sententiæ erit, quia in puris naturalibus humana natura non esset vulnerata, & ided haberet naturales vires sufficientes ad eliciendum quemcumque actum sibi connaturalem, & consentaneum dictamini naturalis rationis, & inclinationi naturali ipsius voluntatis; in natura autem lapsa non semper hoc potest, quia est vulnerata. Potestque pro hac sententiâ allegari D. Thomas, quod libet primo, articulo octauo, nam ibi expressè tam de homine in puris naturalibus, quam de Angelo docet, potuisse naturaliter Deū super omnia diligere. Idem habet Abulensis. Matthæi decimo nono, questione 177.

**C**ontrariam sententiam censeo veram in hoc sensu intellectam, quod homo creatus in puris naturalibus non magis posset per solas vires arbitrij diligere Deum super omnia, quam nunc posset homo lapsus. Vnde sicut non potest pro breui tempore, aut momento elicere nunc vnum actum dilectionis omnino absolutum, & efficacem in sensu supra explicato, & sicut nunc potest elicere aliquem actum imperfectum, ita tunc posset, & non perfectius diligere. Hanc opinionem tradit Medina in introductione ad materiam de gratia in §. Dubitatur ergo, & in art. 3. §. De dilectione Dei naturali, quem dictus author allegat, sed omittit, sumpsisse Medinam hanc opinionem ex Caietano ibi artic. 2. & Soto lib. 1. de Natur. & grat. cap. 2. & 3. & expressè idem docet Conrad. dicto articulo 3. circa finem corporis, versic. Nota tamen. Vbi ait, cum dicimus naturam integram posse diligere Deum super omnia, intelligendum id esse non de natura sibi relicta. Quia & illa (inquit) esset ad se reueruata propter inordinatam sensualem naturalem, & propter compositionem naturæ humane ex ratione, & sensu, nec:

In quibus verbis clarè sentit, ex hac compositione, & repugnantia appetituum, ut naturalis elicit, seclusa culpa, non minus sequi illam impotentiam diligendi Deum super omnia, quam nunc sequatur ex eadem rebellionem carnis, quæ est pœna peccati.

Vnde tacitè inducit Conradus D. Thom. pro hac sententiâ, quia ratio D. Thom. æquè de illo statu procedit. Et est quidem probabile, Diuum Thomam nihil dixisse de homine in puris naturalibus, quia illum sub homine lapsio comprehendit secundum rationis paritatem. Neque enim credendum est, vel illum statum hominis ignorasse, vel incompletam doctrinam tradidisse; comprehendit ergo illum sub altero membro hominis integri, aut lapsi, non autem sub priori, alioqui cum articulo quarto, & octauo dicit, hominem integrum potuisse seruare totam legem naturæ, & vitare omnia peccata illi contraria, idem de homine puro intelligeret, quod absurdissimum est; ergo dicendum est in his quæstionibus, & quoad hoc effectus idem sentisse de homine in puris naturalibus, quod de homine lapsio. Quod aliter confirmatur, quia si affirmatio est causa adæquata affirmationis; negatio est causa negationis; sed ratio adæquata, ob quam homo in statu innocentie poterat diligere Deum super omnia, & seruare omnia mandata, erat naturæ integritas, & debita subordinatio appetituum; ergo carentia huius integritatis est causa, ut non possit homo suis viribus seruare omnia præcepta, & diligere Deum super omnia; sed in puris naturalibus homo careret illa integritate; ergo etiam careret illa potestate. Vnde in citato quod libet de homine in statu naturæ integræ Diuus Thomas loquitur, quem considerat separatim à statu gratiæ, & in illo sensu vocat, *purorum naturalium*. Et in eodem sensu loquitur Abulensis.

Ratio denique huius sententiæ est directè contraria fundamento principali alterius sententiæ; nimirum, vires naturales liberi arbitrij ad operandum bonum, non fuisse futuras maiores in statu purorum naturalium, quam sint in natura lapsa, vel quod perinde est, in statu naturæ lapsæ non esse minores, quam fuissent in pura natura non integra; quod principium facis, ut opinor, in Proleg. 4. ostensum est. Ex illo autem euidenter colligitur, non posse hominem suis viribus efficere perfectiorem amorem Dei in vno statu, quam in alio, quia æqualis causa potest, si vult, æqualiter operari, nec potest intelligi, quod vires sint æquales non solum physice, sed etiam moraliter, & ipse factis omnibus, quæ operationem possint impedire, vel iuuare (ita enim loquimur) & quod aliquis effectus sit possibilis per tales vires in vno statu, & non in alio, ergo. Et confirmatur præterea, quia tota ratio, ob quam non potest nunc homo lapsus diligere Deum super omnia, est, quia non potest longo tempore seruare omnia præcepta naturalia; sed homo etiam in puris naturalibus non posset diu seruare omnia præcepta naturalia; ergo nec potest Deum simpliciter super omnia diligere absolute, & efficaci actu. Consistentia tenet ex identitate rationis, quam supra ad obiectum reduximus, & hic potest eodem modo applicari. Minor autem certa videtur, si ad præcipuam causam illius impotentie, quæ est caro concupiscens aduersus spiritum, respiciamus. Vnde quod Paulus ait, *Quis me liberabit à corpore mortis huius*, & c. suo modo cum proportionem locum haberet in statu puræ naturæ. Et ita minor illa cōmuniter recepta est, eamque non negat, sed potius supponit dictus author, dum ait, posse hominem in puris naturalibus breui tempore elicere actum dilectionis super omnia. Dices enim, breui tempore, indicat longo tempore non potuisse, & consequenter etiam non posse longo tempore seruare omnia præcepta; nam profectò, si longo tempore posset seruare cetera omnia præcepta simul, eo ipso sine difficultate posset eodem tempore diligere Deum super omnia.

Dicetur fortasse, ad diligendum Deum super omnia.

3.  
lind & ipse  
D Thom.

Confirmat.

4.  
Accedit r.  
tio de h. uen.  
fundamentū  
oppositum in  
nu. 1.

Confirmatur  
amplius.

Gg 4 mia



*Evasiones  
præcluden-  
tur.*

nia modico tempore satis esse modico tempore servare omnia præcepta. Sed contra, quia si hoc ita est, etiam in natura lapsa potest homo servare modico tempore omnia præcepta, ut omnes pro comperto habent, quia fieri potest, ut modico tempore non occurrant graves tentationes contra præcepta negativa, neque tot occurrant affirmativa, ut sine magno grauamine servari non possint; ergo illo brevi tempore poterit homo lapsus æquè Deum diligere, ac homo in puris naturalibus, quod idem author negat. Quod si fortasse dicat hominem in utroq; statu posse servare omnia præcepta modico tempore, tamen in natura lapsa illud tempus rarius est, & brevius. Hoc in primis gratis dicitur. Vnde enim hoc fieri potest, aut quomodo potest fundari? Et deinde non potest dici consequenter, nam idem author simpliciter negat, posse hominem lapsum habere talem amorē per minimum tempus, etiam per instans. Vnde sicut in homine lapsa, non satis est posse non peccare per breve tempus, ut in illo tempore possit habere perfectum amorem Dei super omnia, quia amor simpliciter, & absolute super omnia non fuit in tempore, pro quo durat, sed extenditur ad totum futurum tempus per absolutum propositum servandi semper præcepta, quod habere non potest suis viribus, qui non potest diu servare omnia præcepta; ita in hoc æqualis ratio de homine in puris naturalibus intercedit.

6.  
*Fundamen-  
tum contra-  
rium in 2. l.  
retrahitur  
in primis in  
authorum.*

Argumentum autem sumptum ex præcepto naturali in primis retorquetur hoc modo. Ponamus hominem in puris naturalibus creatum, priusquam vllum actum dilectionis Dei eliciat, peccare mortaliter, verbi gratia, per futurum, certè ille homo propter peccatum non fuit liberatus ab obligatione præcepti naturalis diligendi Deum; imò tunc potest instatius obligari propter offensam commissam; quæro ergo de illo homine post illud peccatum, an possit diligere Deum super omnia, nec ne? Nam consequenter non potest id affirmari, quia si homo lapsus nunc non potest, cur posset ille iam lapsus, cum peccatum eius de se non minus ledat naturam, quam peccatum originale? Nam quod nunc præcesserit iustitia, & integritas naturæ, quam abstulit peccatum originis, nihil refert, quia eandem auferet peccatum puri hominis, si in subiecto inuenisset, in reliquis verò æquè auerit à Deo, & maculat animam; ergo incredibile est, illum hominem iam lapsum potuisse perfectius diligere Deum suis viribus, quam nunc valeat homo lapsus. Ut omittam, rationes à nobis factas de homine lapsa, posse ad illum facile applicari. Ratio etiam qua movetur idem author ad id sentiendum de homine lapsa, scilicet, quia dilectio super omnia repugnat cum peccato mortali, illum etiā cogit, ut idem dicat de homine creato in puris naturalibus post lapsum eius. Si autem ille homo iam lapsus non potest diligere Deum super omnia, iam obligabitur præcepto, quod non potest implere; idem ergo dici poterit de eodem homine ante lapsum. Quod si quis dicat ad præceptum satis fuisse, quod in principio esset possibile, quamvis per culpam hominis factum sit impossibile, contra hoc est, quia semper repugnat, præceptum obligare ad id, quod in presenti est simpliciter impossibile, etiam si per culpam impotentia successerit, ut obligari non potest ad recitandum, qui caret oculis, etiam si voluntariè, & per culpam eos sibi eruerit; ergo vel ille homo iam non manet obligatus tali præcepto, quod incredibile est, vel retinet potestatem servandi illud, si eam prius habuit, quod est per se longè verisimilius, quia solum vnum furtum non potuit ab homine auferre potestatem naturalem diligendi Deum, maxime cum posset iterum displicere ipsum furtum, & nullum relinqui habitum, qui boni operationem difficiliorem in futurum reddat.

7.  
*Responso in  
forma ad  
prædictum  
fundam.*

Ad argumentum ergo in primis dici posset, præceptum naturale diligendi Deum prout affirmativum est, solum obligare ad eliciendum actum dilectionis,

iuxta mensuram naturalium virium liberi arbitrij, ita ut homo pro aliquo instanti, vel momento faciat, quantum possit ad diligendum Deum super omnia, & tunc faceret quidem actum aliquo modo absolutum, licet non omnino, neque simpliciter efficacem, sicut de homine lapsa explicuimus, & nihilominus sufficienter implet præceptum, quia facit, quod potest, & nihil amplius tenetur. Hanc responsum attigit Medina dicto artic. 3. in fine, & illam non reprobatur, & nihl videtur in rigore quoad hanc partem sufficiens. Nam quod statim addit Medina, posse illum hominem implere hoc præceptum, diligendo Deum super omnia, cum primum pervenit ad usum rationis, si intelligat de dilectione perfectiori, id est, omnino absoluta, & efficaci, sibi ipsi contradicit, non enim haberet homo in puris naturalibus maiorem potestatem diligendi Deum in primo instanti usum rationis, quam in reliquis, ut per se clarum est. Si verò loquatur de dilectione imperfecta, eadē est responsio. Quæ etiam multi putant, etiam in homine lapsa posse aliquando esse necessariam. Nam fieri potest, ut omnino ignoret fidem, & totum ordinem gratiæ, etiam inuincibiliter, & quod per scientiam, & humanam traditionem veri Dei naturalem cognitionem affectus sit, & in aliqua opportunitate obligari præcepto naturali diligendi Deum, etiam si nullum gratiæ auxiliū tunc habere supponatur, nec possit ad illam se preparare, aut illam inquirere, & nihilominus non obligatur ad impossibile, quia diligendo prout potuerit, præcepto satis faciet. Et hoc insinuat Bañez 2. 2. q. 10. art. 1. ad quoddam 4. argumentum. Si verò consideretur præceptum dilectionis, quatenus includit præceptum negativum nunquam committendi aliquid diuinæ amicitiae contrarium, sic non est præceptum speciale eliciendi actum dilectionis, quam generale inclusum in omnibus præceptis, quorum observantia necessaria est ad perseverandum in dilectione. Et sic incidimus in aliam difficultatem omnibus communem, & supra cap. 28. tractatam, quomodo possit lex naturalis obligare hominem in puris naturalibus constitutum tot præceptis, ut non possit naturalibus viribus omnia illa per totum vitæ cursum implere, quam ibi prout potuimus, expediuimus, & ex ibi dictis colligi potest, quid in presenti dicendum sit.

Vnde etiam potest facile expediri secundum punctum supra positum, & simul aliter responderi ad difficultatem de præcepto dilectionis. Dicimus enim, licet homo in puris naturalibus non potuisset solis viribus arbitrij perfecte, & efficaciter Deum finem naturalem super omnia diligere, nihilominus potuisset id facere cum aliquo adiutorio Dei illi statui proportionato, quod (ut verisimiliter credimus) non fuisset Deus denegaturus, non tam per modum gratiæ, quam per modum alicuius naturalis retributionis. Hoc sequitur consequenter ex dictis in capite 28. nam ibi diximus, non defuturum tunc auxilium accommodatum ad seruandam totam legem naturæ longo tempore. Eadem autem est ratio de dilectione Dei super omnia; imò eo ipso, quod ille homo speraret tale adiutorium ad seruanda præcepta, posset absolute id proponere, & consequenter etiam amare, iuxta dicta in fine capitis præcedentis. Deinde si Deus iuuaret tunc ad seruanda omnia præcepta, etiam iuuaret ad vincendas graves tentationes concupiscentiæ, quia regulariter non aliter seruantur præcepta, cur ergo non etiam iuuaret ad sui dilectionem? Prætereà si homo sic conditus, & innocens faceret, quod in se est, diligendo Deum saltem imperfectè, profectò congruentissimum esset, & naturali providentiæ consentaneum, ut Deus aliquod bonum eiusdem ordinis pro tali amore retribueret, & ita absolute fatetur Medina dicta q. 109. art. 2. circa finem §. penult. & art. 3. circa finem ad 5. Nullum autem præmium cogitari potest magis proportionatū illi amorī, quam adiutorium

*Contra  
Medin.*

*Ad 1. punctū  
huius cap.  
possumus  
nu 4.*



rium ad perficiendum, & cōstanter exequendum illi, quia hoc adiutorium per se non est ordinis supernaturalis, & tūc videretur, neq̃ oportere dari per fidem, sed per naturalia media, vel dispositiones illi statui proportionatas. Quæ omnia maxime procedunt de illo homine priusquam peccaret. Veruntamen etiā peccasset, & postea converteretur ad Deum saltem imperfectè, & prout posset, piè credi potest, non fuisse illi defuturum Deum, vel remittendo offensam, vel iuuando ad perfectius diligendum, & se disponendum ad talem remissionem, vt in materia de Pœnit. disp. 3. sect. 7. notauimus, & notauit Medina dicto art. 2. circa finem.

9. *Progreduur ad præceptum de dilectione Dei de se obligare ad absolutum, & efficacem amorem Dei super omnia, posset ab homine constituto in puris naturalibus impleri, non per solas vires naturæ, sed cum aliquo adiutorio Dei modo explicato. Neq̃ hoc excedit statum purorum naturalium, vel illum destruit, nam ille statum, vt in lib. 1. dixi, excluderet ordinationem ad finem supernaturalem, & consequenter etiam omnia dona gratiæ supernaturalis excluderet, non tamen esset aliena ab illo statu ornatissima Dei prouidentia, qua & reddit conuenientia premia bene operantibus, sicut reddit supplicia peccantibus, & subuenit indigentibus, præsertim facientibus, quod in se est, & vnicuique ei eamque prouidet iuxta suam capacitatem. Neq̃ n. putandum est, in naturali prouidentia, etiam seclisio ordine gratiæ, non fuisse futurum discrimen inter rationalia, & irrationalia, nā quod Paul. dixit, Nūquid de bobus cura est Deo, vtiq̃ comparatione hominis, verum est, non solum de hominibus per prouidentiam gratiæ gubernatis, sed etiam de illis sub solo ordine prouidentiae naturalis, & ordine ad solum finem naturalem constitutis. Quia ad sapientiam, & prouidentiam optimi gubernatoris pertinet, non omnibus eodem modo, sed singulis iuxta vniuscuiusque capacitatem prouidere. Vnde etiam Philosophi cognouerūt, Deum perfectiori modo habere curam hominum, quam brutorum, & inter homines peculiari beniuolentia prosequi colentes se, & honeste viuētes. Igitur intra latitudinem huius prouidentiae contineretur adiutorium illud ad diligendum Deum perfectè intra ordinem naturæ, & ad alia media præstata, sine quibus naturalis beatitudo obtineri non posset. Quibus consentanea est illa sententia Arist. i. Ethic. c. 9. Si aliquod aliud Deorum est munus hominibus, eo ipso autem est rationis, & scilicet autem ab ipso ipsis dari, & eo magis, quod ceteris humanis bonis est præstabilis.*

# CAPVT XXXVII.

*Vtrum sit aliquis alius actus virtutis naturalis, seu acquisitæ præter amorem Dei, qui propter difficultatem suam fieri non possit sine gratia in statu naturæ lapsæ?*

1. *Hæc quæstio locum non habet in natura integra, nam cum dictum sit, in eo statu potuisse hominē suis viribus diligere Deum autorem naturæ super omnia, & potuisse omnia præcepta naturalia seruare quouis tempore, & omnia peccata contraria vitare; manifestum est, nullum posse signari op̃ virtutis naturalis, quod in eo statu fieri non posset viribus liberi arbitrij, quia extrinsecæ difficultates graues, seu insuperabiles alienæ erāt ab illo statu, difficultas autem intrinseca in nullo actu maior reperiri potest, quam in amore Dei super omnia, & absoluto proposito seruandi omnia præcepta. Statum autem purorum naturalium statui naturæ lapsæ quoad hoc æquiparamus, vt satis ostendimus, & ideo de solo statu naturæ lapsæ in hoc puncto tractamus. Ratio ergo dubitandi esse potest, quia D. Tho. singulariter de solo actu dilectionis Dei super omnia dixit, nō posse fieri ab homine lapsō sine gratia; ergo sentit, hoc esse singulare in illa propter specialem difficultatem eius. Præsertim,*

quia statim in art. 4. & 8. docet, singula præcepta naturalia seruari posse, seu vitari singula peccata illis contraria, licet non omnia collectiue, sine gratia, nullūq̃ excipit, seu quasi supponit exceptionem factā de sola dilectione; ergo exceptio firmat regulam in contrarium, vt propter nullum singularem actum sit necessaria gratia. Accedit tandem, quod in ipso amore difficultas ostenditur tanta difficultas, quæ moralem impossibilitatem inducat, & ratio, qua eadem illam ostendimus, in solo amore super omnia locum habet; ergo signum est, hanc necessitatem propriam esse illius amoris.

In contrarium autem est, quia multi, & graues auctores extendunt hanc necessitatem ad quæcūq̃ opera virtutis medioctrem difficultatem habentia, & præsertim indicant Bellarm. Vega, & alij supra allegati circa victoriam grauium tentationum. Numeratq̃ solent actus sequentes. Primo actus pœnitentiæ, qui sit perfecta detestatio de peccato, præsertim propter Deum, nam hic actus haberi non potest sine gratia, cum sit quædam contritio. Nam etiam attritio, & dolor ex timore non potest sine gratia fieri, vt docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & sess. 1. cap. 4. ergo multo minus detestatio ex amore Dei poterit fieri sine gratia. Secundus est actus amoris proximi, quem ex præcepto naturali tenemur diligere, sicut nos ipsos, quod valde difficile est, quia hic amor includit illa duo præcipua, quæcūq̃ vultis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis, Matth. 7. & Quod tibi non vis, alteri non facias. Tobie 4. in quibus lex ferè tota posita est, vt Christus dixit: propter quod dixit Paulus ad Roman. 13. Quid ligis proximum, legem impleuit. At verò nemo potest implere legem sine gratia; ergo neq̃ hanc dilectionem habere.

Tertius, & difficilius actus est dilectio inimicorum: nam cum illam commendaret Christus Matth. 5. dicit illam non carituram mercede apud Patrem; significans semper esse actum dignum mercede supernaturali, ac subinde ex gratia. Vnde subtingit. Si diligatis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne, & ethnici hoc faciunt? quasi dicat, dilectionem amicorum posse ab ethnicis fieri, quia est accommodata naturæ, dilectionem autem inimicorum adeo esse difficilem, vt per naturam fieri non possit, & ideo in ethnicis, & publicanis non inueniri. Vnde Hieronymus sibi dixit, multos imbecillitate sua non sanctorum viribus præceptum illud est. mantus putare illud esse impossibile, quia diligere inimicum plus est, quam humana natura patiatur. Quibus ipse virtute respondet, Christum non impossibile, sed perfectè præcipere: quod exemplis Sanctorum confirmat. Vnde virtute concedit, illud tantum esse possibile per vires sanctorum, quæ sunt vires gratiæ. Amor autem inimicorum moralis, & naturalis est, & cadere potest sub præceptum merè naturale.

Quartum exemplum esse potest de obseruatione continentiae, de qua Sapient. 8. dixit Sapient. Sciuit, quodiam aliter non possum conueniens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, siue cuius esset hoc donum. At continentia moralis actus est, nam de continentia castitatis intellexit illum locum Augustin. lib. de Continent. cap. 17. & epist. 89. q. 2. & epist. 95. & 130. ergo aliquis specialis actus moralis est impossibilis sine gratia. Quin etiam haec difficultas in custodia virginittis, quæ licet non sit sub præcepto, nihilominus est actus moralis, licet bonus, & ex obiecto suo naturalis, & nihilominus haberi non posse sine gratia, significauit Paul. 1. ad Cor. 7. dicens esse donum Dei, & Christus Matt. 19. dicens, Nō omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, vt ponderauit Augustin. in lib. de Continent. cap. 1. & lib. de Gestis Palæstinis cap. 10. aliàs 13. Sexto adiungi potest etiam hic potest professio paupertatis voluntariæ, præcepto, sed sub cōsilio, quæ ratione naturali cognosci potest, & nihilominus fieri potest per naturales vires, nam propter illud dixit Christus Matt. 19. Apud bonos

2. Pars affirmat variè exemplis suadetur.

1. Exempli de actu pœnitentiæ.

2. De actu amoris proximi.

3. De speciali actu amandi inimicos.

4. De custodia virginittis.

5. De speciali custodia voluntariæ paupertatis.

6. De actu quæ est actus naturalis, & moralis, licet non sit sub præcepto, sed sub cōsilio, quæ ratione naturali cognosci potest, & nihilominus fieri potest per naturales vires, nam propter illud dixit Christus Matt. 19. Apud bonos